B. N. C.
FIRENZE
1059
14

Digitized by Google

Hist. .059.14

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PRÆSTANTIA,

ET USU PLANTARUM IN MEDICINA

T H E S E S

QUAS SUB FELICIBUS AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI, DOCTISSIMIQUE VIRI

D. FRANCISCI

B O N C O R E

ARCHIATRI MERITISSIMI

REGIÆ CELSITUDINIS

C A R O L I I.

Parmæ, Placentiæ, Caſtri &c. Ducis &c.
Magni Principis Etruriæ &c.

PUBLICE PROPUGNANDAS PROPONIT

IN PISANO ATHENÆO

JO: ANTONIUS TARGIONI FLOR:

ALMI COLLEGII DUCALIS ALUMNUS

Nec non Publicus in eodem Athenæo

MEDICINÆ LECTOR EXTRAORDINARIUS.

Digitized by Google

1059.14

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Cum pro injuncti muneris ratione nonnullas Medicas Theſes, publici juris facere, & in hoc ampliſſimo Sapientiæ Theatro propugnare jubear, oblatam mihi eſſe ſentio expetitam diu occaſionem publico aliquo teſtimonio patefaciendi, quantum Tibi, me Tua, ILLUSTRISSME DOMINE, devinxerit ſingularis prope Humanitas, cum eximia Doctrina copulata. Fateor equidem, eam eſſe Tuorum erga me benefactorum magnitudinem, ut me pares illis gratias rependere nullo modo poſſe confidam; Tamen, & ut ingrati animi vitium, a quo ſemper abhorrui declinarem, & ut aliquod Tibi ſpecimen exhiberem profectus, quem habui in hiſce Naturalis Hiſtoriæ ſtudiis, ad quæ alacrius ſuſcipienda mihi Dux, Auſpex, & Patronus extitiſti, facere non potui quin haſce meas, quales eæ cumque ſint, in publicum prodituras

Theſes, de Præſtantia, & Uſu Plantarum in Medicina, Tibi nuncuparem: præſertim, cum non ſim neſcius, quanto tibi hujuſmodi ſtudiorum genus arrideat opere, quæ tanto quondam cum plauſu in celeberrimo Patrio Gymnaſio profeſſus, etiamnum oblectationis ergo, graviſſimarumque, quæ Te undique circumſiſtunt curarum remiſſionis, diligere, & promovere non ceſſas. Accipe igitur hoc, quantulumcumque obſervantiæ erga Te meæ, gratique animi teſtimonium; Etenim, ſi libenti animo iſtuc accepiſſe Te cognovero, acriores, in dies mihi ſtimulos ad gloriam addi ſentiam, atque adeo me fortaſſe aliquando facturum ſpero, ut aliquid moliar, & excogitem, quod acerrimo judicio Tuo non plane improbetur, minimeq; Te noſtri patrocinium ſuſcepiſſe pœniteat. Vale VIR AMPLISSIME, Teque DEUS O. M. Literarum bono, præcipueque Medicinæ, quam in Potentiſſimis Regibus tanta cum ingenii laude, tantoque Reip: commodo curandis exerces, quam diutiſſime ſervet, & feliciſſime.

Dom. Tuæ Illuſtriſſimæ.

Humillimus atq; Addictiſſimus Famulus
Joh. Antonius Targioni.

Digitized by Google

DE PRÆSTANTIA, ET USU PLANTARUM IN MEDICINA.

I.

CUm omnes Morbi, quibus obnoxium eſt Humanum Corpus, immediate pendeant a vitiato æquabili motu Fluidorum, & æquabili reſiſtentia Solidorum; Ab Immutatione ſcilicet aliqua in dictis partibus: Manifeſtum eſt, ad hoc, ut morbus tollatur, ſeu, ut vitium illud corrigatur, excitandam neceſſario eſſe Immutationem aliquam, priori omnino contrariam. Inſtrumenta, quorum ope id perfici poteſt, Remedia nuncupantur, quorum uſu conſtant eæ partes, in quas univerſa Medicina diduci poteſt; Ut ſcilicet earum una ſit, quæ Corporis Exercitationibus, altera, quæ Manu, tertia denique, quæ Victu, & Medicamentis medetur. Hæc autem, ex voto agere non poſſunt, niſi Canalibus immediate applicentur, vel cum Liquidis permiſceantur. Medicamenta igitur eſſe poſſunt omnia illa Corpora, quæ Circulanti Sanguini jungi queunt, vel externæ ſuperficiei admota ope Abſorbentium vaſorum, vel per Chyliferorũ viam, ſi tempeſtive, & juxta peculiares indigentias uſurpentur.

II.

Præter Aerem, qui Corpus Humanum jugiter pervadit, & in ingenti copia incolit ejuſdem Liquida, cæteræ omnes ſubſtantiæ, quæ in Corpus ipſum invehi poſſunt, ad tria ſumma Genera, ſive Claſſes commodiſſime revocantur; Animalium nempe, Vegetantium, ac Foſſilium.

III.

Et quia, ad promovendam perpetuam Maſſæ Sanguineæ circulationem neceſſaria eſt frequens recentis Succi affuſio, & introductio ſub forma Alimenti; Delectus Materiæ ipſius Alimenti, Medicinæ ſcopo inſervire poteſt quam maxime: Hoc enim modo invehi illa poſſunt in Corpus, quæ magis idonea ſint ad neceſſarias illas Immutationes producendas. Et hac potiſſimum de cauſa Ciborum Delectus, & Recta Adminiſtratio, inter precipuas Medicinæ Partes habita ſemper fuit, non tantum ad præſentem Sanitatem ſarctam, tectamque ſervandam, verum etiam, ad amiſſam reſtituendam.

IV.

Quoniam vero plurimæ ex illis Immutationibus, quæ neceſſario requiruntur ad Humani Corporis Partes in naturalem Sanitatis ſtatum reducendas, haberi non poſſunt, niſi perturbentur aliquo modo, ac vitientur Alimentorum operationes: Ut patet ex. gr. in Evacuationibus cujuſcumque generis &c. Corpora illa, quæ hos determinatos effectus producere valent, jure veluti quodam peculiari, Medicamenti nomen ſibi vindicarunt.

Digitized by Google

V.

Alimenta potiſſimum deſumuntur ex Animalibus, & ex Plantis: Duo hæcce ſumma Genera diligenter examinanti, patet apertiſſime, Alimenta, quæ nobis Plantæ ſuppeditant, nulla ratione iis, quæ ex Animalibus deſumuntur eſſe poſthabenda; Quinimmo, non minus tuta eſſe, atque accomodata, ad Corporis Noſtri partes, in naturali Sanitatis temperie ſervandas.

VI.

Et ſane: Ex ampliſſimo Vegetantium Regno, pro Cibis uſurpamus ſolummodo Radices, Folia, Fructus, & Semina, quæ molliora, ac magis friabilia experti ſumus; Quorum ſcilicet firmæ partes, ſeu Canales, tunicis conſtant tenuioribus, ac laxiore Fibrarum textura, quam in Animalibus, in quibus eæ partes nil aliud ſunt, quam expanſiones Nervorum.

VII.

Fluida verò, quæ in exiliſſimis, ac præter fidem anguſtiſſimis Plantarum canalibus continentur, & moventur, tenuiſſimis conſtant particulis, atque inter ſe non multum figura, & mole diſſimilibus, & ex tubulis ipſis, vel peculiaribus receptaculis exempta inſignibus alterationibus obnoxia non ſunt: Gravitate inſuper ſpecifica donantur proxime æquali gravitati ſpecificæ Sanguinis noſtri.

VIII.

Quibus de cauſis Alimenta ex Vegetabilium cenſu deprompta, nulla, aut ſaltem levi mutatione, ſeu præparatione indigent in Stomacho, & Inteſtinis; Sed maxima eorum pars facillime, ac citiſſime Venarum Lactearum oſcula ſubeunt, & deinde Pulmonis ope, inter minimas quaſque Sanguinis particulas elementares iſinuantur; Vi circularis motus ipſius, in ſingulas Corporis partes commodiſſime deferuntur, & uniuſcujuſque jacturas moleculis gravitate, magnitudine, & numero ammiſſis ſimilibus compenſant. Quinimmo inextricabiles Glandularum Labyrinthos feliciter percurrunt, excretionibus cujuſcumque generis, ac præcipue Perſpirabili Sanctoriano uberem materiem ſuppeditantia: Animales ipſos Spiritus larga acceſſione inſtaurant, cum quibus commercium quaſi aliquod habere, manifeſtum fit in Deliquiis.

IX.

Neque minoris exiſtimanda putamus beneficia illa, quibus Alimenta ex Plantis deſumpta nos afficiunt, tum in Morborum Cauſis expellendis, ſimul ac vigere cœperint; tum etiam in debellandis morbis ipſis jam confirmatis, & Corpus miſere vexantibus. Namque in immenſo Plantarum populo, certæ quædam Familiæ ſunt, quæ ſalutares nobis Cibos, Potuſque ſuppeditant, qui uno, eodemque tempore Corpus nutriunt, & peculiaria Humorum vitia corrigere valent, placida, & Naturæ amica operatione. Et hæ quidem Plantæ, non ex longinquo petendæ, ſed indigenæ, & plerumque intra pomeria ipſa naſcentes, facile, & ab ipſo obtutu dignoſci poſſunt ex conſtantibus, ac manifeſtis Characteribus (apage Chymicorum, & Aſtrologorū quorundam ridiculas Signaturas) Floris ſcilicet, ac Fructus figura, & ſitus, quibus ab Optimo, Sapientiſſimoque Auctore Naturæ diſtinctæ ſunt.

X.

Digitized by Google

X.

Non eſt hujus loci congerere exempla; Quapropter ſilentio præteribimus Vim Antacidam, & Antiſcorbuticam Ciborum, quos nobis offert numeroſa illa Plantarum Tribus, Flore tetrapetalo, cruciformi, quæ vulgo Siliquoſæ nuncupantur; Attenuantem, & coaleſcentes moleculas diſiungentem facultatem eorum, quos miniſtrant plurimæ Herbarum Familiæ Flore compoſito, ſemifloſculoſo, ſive Lacteſcentiũ non acrium; Aromaticam, & ſtimulantem Alimentorum ex Verticillatis, ſeu, quæ Flore monopetalo, labiato donantur; Inſpiſſantem, & Attemperantem ex ditiſſima illa Claſſe Herbarum Flore dipetalo, quæ Graminifoliæ Culmiferæ, ſeu Triticeæ appellantur; Sicut, & Diureticam ex Umbelliferis; Moderate Adſtringentem, & Roborantem ex Dorſiferis; Diaphoreticam ex Cynarocephalis; Quotquot aliæ præterea, non levi compendio, ac Rei Medicæ emolumento hactenus innotuerunt, & ex Tourneſortiana Methodo, Clariſſimorum Virorum laboribus illuſtrata, atque amplificata ſponte profluunt.

XI.

Neque tamen intelligi hæc volumus, quaſi verò rejiciamus, & inutilia putemus Alimenta, quæ ex Animantibus deſumuntur. Fatemur enim, maximo adjumento nobis ea eſſe, cum intemperies Acida deprehendatur prædominari. Lac ſolum excipias Animalium, quæ Herbis, & Aqua nutriuntur, quod Acidi Chyli indolem ſequutum, Vegetabili ſubacido Alimento ſimillima in nobis producit, & contra Alcalinam Acredinem præcipue prodest. Negamus tamen ſolis Carnibus Sanitatem integram diu ſervari poſſe, ob earum indolem in putredinem vergentem; Ex immoderato enim ipſarum uſu ſævisſimos morbos, Acutos præſertim generari notiſsimum eſt, quibus abſque Palntarũ auxilio ſuccurri non poſſit.

XII.

Nec ſolummodo Alimentorum, quæ nobis exhibent utilitate, & efficacia Plantæ Animantibus præſtant; Sed etiam ob eximias vires ſupra Materiẽ Medicam univerſam dominatum ſibi jure merito vindicant. Cum enim Medicamenta deſumantur, ex ſingulis ſupradictis Fontibus, ſeu, ut vocant, Regnis, Animantium nempe, Vegetantium, & Foſſilium; Aſſerere non dubitamus, Vegetantia majori adjumento nobis eſſe, ac magis conſtantibus tutiſque viribus inſtructa, ad Morborum Cauſas eliminandas. Id verò luce meridiana clarius apparebit ſingulas has Claſſes ad Trutinam revocanti.

XIII.

Et quidem, ex Animantium Regno deſumptis Medicamentis, tunc potiſſimum fidendum cenſemus, cum Acida Acrimonia labefactatis Digeſtionis officinis, ſanguinem, & qui ipſi ſerviunt, ſuccos vitiare conetur; Animalia ſiquidem Alcalinis, ſalinis, volatilibus particulis ſcatent, quæ cum Acidis permixtæ ſtatim efferveſcunt, illorum aculeos abradunt, & tertiam quamdam innoxiam ſalis ſpeciem conſtituunt, qui Sanguinẽ incidit, attenuat, atque immotum vividiorem exſuſcitat. Mole inſuper ſua, figura, mobilitate, fibrillis vaſculorum impacta, illas exagitant, ſtimulant, & oſcillatorios ipſarum motus adaugent: Et hac fortaſſe de cauſa, ipſa hæc medicamenta, in nervorum affectionibus uti-

lia comperta ſunt, cum cuique ſatis, ſuperque notus ſit conſenſus partium omnium nervoſi Syſtematis. Exemplo eſſe poteſt Spiritus volatilis, oleoſus, ſalinus Cornu Cervi; quinimmo plurima exipſo C: C: parata, Decotiones puta, Gelatinas &c. Fateri enim cogimur hoc viribus illis omnibus pollere, quæ tot, tamque diverſis Medicamentis Regni hujus tribuuntur. Huic jungi non incongrue poſſunt celebres illæ Guttæ Goedartii, ita ut, hæc duo Medicamenta, ob elegantiam, & efficaciam, omnium ex Animantibus deſumptorum inſtar eſſe poſſint.

XIV.

Verum ex hactenus poſitis manifeſtum ſit, non multum late patere Animalium uſum in Medicina; ſiquidem Morbi, in quibus certum auxiliũ ſperare ex illis poſſumus, non adeo multi ſunt; Raro inſuper, & in primis ut plurimum viis occurrunt. Cum pręſertim Animalis Machina, natura ſua apta ſit ad Acidos iſtos Sales in Alcalinos immutandos: Cui operi non parum confert iteratus, & auctus Circulationis motus; Quapropter obſervare licet in iis, qui longam patiuntur Inediam ſponte excitari Alcalinam Acredinem, & Febrim ipſam, adempto ſcilicet Acidi Chyli temperamento, & refrigerio; Quemadmodum compertum eſt iis, qui Obſidionum, aut Peregrinationum Hiſtorias pervolverunt, vel quibus in facienda Medicina obſervare contigit invincibiles OEſophagi obſtructiones, a quacumque cauſa provenientes.

XV.

Præterquam quod non admodum frequens eſt Animalium uſus in Medicina, nimius bonos iis præſtitus Medicinam oneravit ridiculis, ac ſuperſtitioſis prope innumeris, turpibus inſuper, ſordidis, abominandis, quæ in cauſa potiſſimum fuere, cur Ars nobiliſſima, ac prorſus Divina, ludibrio Vulgi exponeretur. Putamus enim inutile, ac fortaſſe pernicioſum medicamentis adnumerare, & miſeris Ægrotantibus præſcribere Serpentes, totque Inſecta fœtentia, & virulenta, quæ nobis exoſa ſunt dum vivunt; ſiquidem, nec poſt mortem, Oculis, Naribus, Linguæ arridere poſſunt, etiamſi diverſimode præparata, atque larvata. Stultitiæ autem (ſit Verbo venia) proximum putamus, in tanta meliorum, ac minus nauſeorum Vegetabilium Medicamentorum multitudine, Brutorum putridas partes, obſcenas etiam, atque omnis generis excrementa, infelicibus Ægrotis propinare, & vires quaſdam ſpecificas in quiſquiliis, & ſordibus hiſce imaginari. Quid quod immanitatem quamdam redolere videtur, Humanum ipſum Cadaver dilaniare, coquere, & inde remedia ad peculiares Hominum affectus ſanandos expectare. Quid enim ſibi volunt ex ipſis Carnificum manibus redempta Latronum membra? Quid Mumia? Quid Pinguedo Humana, Sanguis, Urina, & inde parati Sales volatiles, ſpiritus &c.? Quid Pulvis, Cinis, Oleum, Gelatina Cranii Humani? Anthropophagis fortaſſe iſta placeant; noſtris certe Ægrotantibus nauſeam inevitabilem pariunt.

XVI.

Sed materiæ huic diutius tractandæ immorari, pudet, pigetque; Solummodo colligimus mirum in modum coarctari, ac decreſcere Medicamen-

Digitized by Google

mentorum ex Animalibus petitorum numerum, ſi Sordes hæcce, ex Medicamentorum albo deleantur, ut decet; nullo enim adjumento in morbis eſſe poſſunt, aut debent; ſed Medicum imperitiæ (ſi fas eſt dicere) arguunt, quod in tanta præſentiſſimorum, ac jucundiſſimorum Vegetabilium Remediorum abundantia miſeris Ægris commendare, ac propinare audeat turpia quævis, fœtore, ac ſapore ſumme nauſeoſo ingrata, tota ſubſtantia, Homini etiam minus delicato, ac vel ſolo nomine abominanda.

XVII.

Foſſilium autem, ac præpertim Metallorum præcipuus uſus eſt in morbis, a Fluidorum lentore, & minimorum vaſorum obſtructione pendentibus. Cum enim Metalla corpora ſint omnium notorum ponderoſiſſima, & in minutis etiam particulis ſpecificam ſuam gravitatem totius molis ponderi proportionalem retineant: ſi cum viſcidi craſſique Sanguinis moleculis [quæ ſcilicet, ex pluribus ſanguineis particulis præternaturali quodam glutine concretis conſtant] miſceantur, & utriſq; motus ab eadem cauſa impreſſus ſit, celerius multo feruntur Mineralium particulæ, utpote quę eamdem, aut majorem materiæ quantitatem, multo minori ſuperficie circumſcriptam ferentes, minorem medii reſiſtentiam inveniunt, Et diutius retinent motum ſuum: Quinimmo; in viſcidi Sanguinis moleculas tardiores impingentes, ipſas vi quadam ab exceſſu velocitatis ſuæ orta penetrant, diſcindunt comminuunt, majoremque motum iis imprimunt, Humoribus autem plurimum attenuatis, major fit Spirituum ſecretio vis Cordis fortior, & majus velocitatis ratione Sanguinis momentum. Hinc facilior lentorum per obſtructa capillaria protruſio, quam promovent ipſæ Mineralium particulæ, vi momenti ſui vaſa obſtructa potenter aperiendo, & elaſticam vim derpeditam ipſis reſtituendo. Hæ vires præcipue elucent in Mercurio, qui cœterorum, excepto Auro ponderoſiſſimus eſt, globuliſque ſanguineis pondere pluſquam decies præpollet, & in Calybe, qui licet Mercurio nullo modo æquiparandus, utpote dimidiatam tantum ejus gravitatem ſortitus; nihilo tamen minus, in ſupradictis morbis validiſſime opitulatur.

XVIII.

Verum Claſſis iſta Morborum, in quibus tute exhiberi poſſint Medicamenta ex Foſſilium cenſu deprompta, non admodum numeroſa eſt; Infidus inſuper ipſorum operandi modus, cum plerumque morbum ipſum augeant. Si enim vis morboſæ cohæſionis molecularum Sanguinis major ſit, quam exceſſus velocitatis metallinarum particularum ſupra ipſas, tantum abeſt, quin morboſa illa cohæſio tollatur, quin potius augeatur multo neceſſe eſt, dum exiliſſimæ metallorum particulæ, non ſine vi aliqua percuſſionis, in porulos, atque interſtitiola dictarum Molecularum impactæ, illas perrumpere non valentes, figura, & gravitate ſua ſubſiſtere illic coguntur, contactus augent, meatus obturant, & maſſulas illas nulla alia diſſolvendas actione conſtituunt. Præterea, cum ad extremos Arteriarum ductus infarctos delatæ fuerint Metallorum particulæ, vel figura ſua aptæ non ſunt illorum oſcula pertranſire, vel propter magnam a Corde diſtantiam imminuto momento, viam ſibi reclu-

recludere non valent; quapropter inibi ſubſiſtunt, Obſtructiones ipſas augent, & Scyrrhos inſanabiles producunt. Quibus fortaſſe caufis accepta referenda ſunt plurima incommoda, quæ virtuti coagulatrici, ac fixatrici Mineralium, & præſertim Calybis, & Veneris adſcribi ſolent. Accedit, quod ab ipſorum Mineralium uſu nos deterrere videtur voluiſſe Natura, cum in ipſis Fodinis, ob lethales exhalationes celerrime intereant miſeri Foſſores. Corpori inſuper nutriendo idonea non ſunt; & eorum nonnulla circulanti Sanguini per quam difficile poſſunt admiſceri. Quandoque etiam Sanguinem ingreſſa, veneficas plurimas, & exitiales particulas exerunt, quæ Chymicas quantumvis laborioſiſſimas præparationes eluſerunt, & per circulationem in ſingulas corporis partes delatæ, graviſſima ſymptomata, & mortem ipſam inferunt. Quapropter ſi de ipſorum Foſſilium, ac præcipue Mercurii, & Antimonii viribus eximiis mira ſane clariſſimi Viri literis conſignarunt, e contra Medicorum libri fere omnes referti ſunt querelis, de violenta, ac Naturæ inimica ipſorum actione: adeout percelebris ſit Controverſia, quæ centum circiter ab hinc annis, doctiſſimos Europæ Medicos in plures ſententias diſtraxit, de Antimonii natura, an ſcilicet Venenis illud eſſet adnumerandum; & in pervolvendis Hiſtoriis Inſignium Luis Venereæ Curationum Mercurii ope abſolutarum, præſertim verò linimento, ſuffumigio, aut alio quocumque modo excitata Salivatione, frequentiſſima occurrunt funeſta exempla violentiſſimæ remedii operationis. Et hinc fortaſſe originem duxit ſevera nimis quorumdam cautela, qui inſigni hoc Remedio uti non audent, etiam in parciori doſe, ac tutioribus præparationibus.

XIX.

Plantæ vero, ſi a perito ſagacique Medico deligantur, in Morbis hactenus enarratis prodeſſe bene poſſunt, non ſecus ac Animalia, & Foſſilia: cum præſertim novum non ſit, Naturam eumdem effectum pluribus modis obtinere poſſe, & diverſis licet viis, eamdem optatam metam attingere. Si enim Acidæ intemperiei obviam eundum ſit, occurrunt plurimæ Antacidæ, ſive Alcaleſcentes Plantæ, quæ non minus feliciter, quam Animalia dirum illud malum ſubigunt. In fluidorum autem viſciditate, & minimorum vaſorum obſtructionibus, citiſſimam, ac tutiſſimam opem ferunt aliæ prope innumeræ, quæ, vel ſucco donantur aquoſo, ſaponaceo, qui glutinoſos, & pingues humores colliquat, impactos diluit, & expedit, obſtructioneſque reſerat; vel, quæ Oleo acri, aromatico, alcalinoque ſale abundant, quo fibras motrices ſtimulando canalium tonum, robur, contractilitatem intendunt, adeo ut validius premantur, & concutiantur tenaces, & ſpiſſeſcentes Succi, eorum motus progreſſivus citatior, & inteſtinus auctior reddatur & crebrius fortiuſque ſic trajecti per vaſa capillaria attenuentur, & in minores globulos diſcerpantur, ac dividantur.

XX.

Digitized by Google

XX.

Incredibilem præterea Remediorum varietatem ſuppeditant, ad obtundendam Alcalinam Acredinem nimis frequentem; Quare Morbos plurimos, qui ab ipſa originem ducunt, ſola ab Animalibus abſtinentia curari quotidie videmus.

XXI.

Nec minor eſt ipſarum efficacia in cohibendo nimio impetu Circulantis Sanguinis, aut diſſolutione impedienda, cui, ut manifeſtum eſt, Metallis ſuccurrere non poſſumus. Hoc præcipue fundamento niti videtur antiquiſſima Hippocratis, & totius Græcæ Scholæ praxis, quam Arabes amplexi ſunt, & jucundiorem reddiderunt: Frequens ſcilicet uſus Succorum variarum Plantarum, qui Melli, aut Sacchаro admixti, & multa Aqua diluti, circulari cum Saguine commodiſſime poſſunt, & quorum ope Morbos omnes Acutos, & Inflammatorios curare adgrediuntur Æſculapii filii, & ipſorum multos feliciſſime vincunt.

XXII.

Quinimmo nullus fere Morbus eſt, in quo aliquid auxilii ſperare ex Plantis non poſſimus, præſertim vero, ſub medicamentoſi, & Cardiaci Alimenti forma, cum incredibilis ſit plurimarum vis ad imminutas in Morbis, depreſſaſque Vires erigendas; Fragrantibus ſiquidem, ac ſubtilibus, oleoſis particulis, quibus ſcatent, in Nervos, eorumque Liquidum immediate fere penetrant, ipſique motum Naturæ blandum, & amicum inſinuant. Nec verendum eſt, quin a Vegetabilium medicamentorum uſu abhorreant Ægri, cum ex ipſis multi Alimentorum vice fungantur: plurima etiam in appetitus depravationibus maximo cum emolumento propinentur.

XXIII.

Plantæ præterea, quæ in Medicum uſum recipiuntur, in patrio ſolo defixæ, aut aliis Plantis, vel certis quibuſdam Corporibus innatæ, & alligatæ per quam ſimplici nutrimento augeſcunt, nec affectionibus, aut motibus animalibus obnoxiæ ſunt: ex quo fit, ut non ita facile in illis mutentur fluidorum craſes, & qualitates, & conſequenter firmarum etiam partium, quæ his nutriuntur, & alluuntur: Adeo ut verendum non ſit, quin eamdem Plantam, quæ modo præſentiſſimum attulit auxilium, mox (cœteris paribus) maximo Ægrotantis incommodo noxiam, aut ſaltem inutilem experiamur.

XXIV.

Quæpropter audacter aſſeverare licet: Plantas veram eſſe Medicinam, quam ad Morborum, quibus conflictamur lenimen DEUS O. M. creavit e Terra, ac ſingulis in Regionibus larga manu profudit; & jure merito Optimum Remedium dicendas eſſe, cum Optimi Remedii conditiones omnes ab Hippocrate requiſitas impleant; nempe, Cito, Tute, & Jucunde auxilientur.

DIS-

DISPUTABUNTUR PUBLICE

In Schola Magna Piſani Lycei

Anno Domini 1734.

Menſe Maii Die Hora

Annuente Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Comite Gaſparo Cerati Eccleſiæ Conventualis Illuſtriſſimæ, ac Sacræ Religionis Equitum Divi Stephani Priore meritiſſimo, & Piſani Athenæi Proviſore Vigilantiſſimo.

DOMINI ARGUENTES ERUNT.

D. Abbas Joh: Torellus Leoni Pupienſis, Almi Collegii Ducalis Alumnus, nec non Publicus Philoſophiæ Lector Extraordinarius.

D. Abbas Nicolaus Philippus Borrini Lucenſis, Almi Collegii Ducalis Alumnus.

D. Abbas Dominicus Brogiani a Caſtro Florentino, Almi Collegii Ducalis Alumnus.

COETERIQUE VOLENTES.

Imprimatur
Fr. Jo: Paulus Jacopini Vicarius Generalis S. Officii Piſ.

Imprimatur
Clemens Maria Froſini Vic. Generalis.

Imprimatur
Quintilius Galeotti.

PISIS, Anno MDCCXXXIV. Ex Typographia Jo. Dom. Carotti.
Superiorum Licentia.

1CCR. 14
35558578

Digitized by Google

Digitized by Google